



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] sit statim restituendum? 8

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*Vtrum quis teneatur statim restituere, an verò possit restitutionem differre?*

351  
4 dif. 17.  
9. 3. a 2.  
9. 4 ad 3

**A**D octauum sic proceditur. Videtur, quòd non teneatur aliquis restituere statim, sed potius licite possit restitutionem differre. Præcepta enim affirmatiua non obligant ad semper. Sed necessitas restituendi imminet ex præcepto affirmatiuo. Ergo nõ obligatur homo ad statim restituendum.

¶ 2 Præterea. Nullus tenetur ad impossibile. Sed quandoque aliquis non potest statim restituere. Ergo nullus tenetur ad statim restituendum.

¶ 3 Præterea, Restitutio est quidam actus virtutis, scilicet iustitiæ. Tempus autem est vna de circumstantijs quæ requiruntur ad actus virtutum. Cum ergo aliæ circumstantiæ non sint determinatæ in actibus virtutum, sed determinabiles secundum rationem prudentiæ: videtur quòd nec in restitutione sit tempus determinatum, vt scilicet aliquis teneatur ad statim restituendum.

SED contra est, quòd eadem ratio esse videtur in omnibus, quæ sunt restituenda. Sed ille qui conducit opera mercenarij, non potest differre restitutionem: vt patet per illud quod habetur Leuitic. decimonono, Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsq. mane. Ergo neq. in alijs restitutionibus facien- dis potest fieri dilatio: sed statim restituere oportet.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut accipere rem alienam, est peccatum contra iustitiam; ita etiam detinere eam: quia per hoc, quòd aliquis detinet rem alienam inuito domino, impedit eam ab vsu rei suæ, & sic ei facit iniuriam. Manifestum est autem, quòd nec per modicum tempus, licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eceles. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum: & ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest; vel petere dilationem ab eo qui potest vsum rei concedere.

Ad



Ad primum ergo dicendum, quod præceptum de restitutione faciendâ, quamvis secundum formam sit affirmatiuum, implicat tamen in se negatiuum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.

Ad secundum dicendum, quod quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absoluit eum ab instanti restitutione faciendâ: sicut etiam totaliter à restitutione absoluitur, si omnino sit impotens. Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per se, aut per alium.

Ad tertium dicendum, quod quia cuiuscumque circumstantiæ ommissio contrariatur virtuti, pro determinata est habenda; & oportet illam circumstantiâ obseruare. Et quia per dilationem restitutionis, committitur peccatum iniustæ detentionis, quod iustitiæ opponitur: idem necesse est tempus esse determinatum, ut statim restitutio fiat.

QVÆST. LXIII.

*De acceptione personarum, in quatuor articulos diuisa.*

**D** Einde considerandum est de vitijs oppositis prædictis iustitiæ partibus. Et primo de acceptione personarum, quæ opponitur iustitiæ distributiue. Secundo, de peccatis quæ opponuntur iustitiæ commutatiue.

¶ Circa primum queruntur quatuor.

¶ Primo, utrum personarum acceptio sit peccatum?

¶ Secundo, utrum habeat locum in dispensatione spiritualium?

¶ Tertio, utrum in exhibitione honoris?

¶ Quarto, utrum in iudicijs?

ARTIC. I.

*Utrum personarum acceptio sit peccatum?*

**A**d primum sic proceditur. Videtur, quod personarum acceptio non sit peccatum. In nomine enim personæ, intelligitur personæ dignitas. Sed considerare dignitates personarum pertinet ad distributiui iustitiæ. Ergo personarum acceptio non est peccatum.

Sec. sec. Vol. ij.

G

¶ 2 Præ-

352

*infr. a 2*

*co. et 40.*

*2. le. 2. 10.*

*5. fin.*